


LVNÆ DIE 19 M. OCTOBRIS A. 2009

A.d. XIV Kal. Novembres a. MMIX

I 5 2

M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P701451



# DE ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ CONVENTV (15-19 M. SEPT. A. 2009)

Professor Nicolaus Sallmann, qui pro Academia munus conventus instituendi suscepit, multa obstacula superare debuit. Lingua Latina infeliciter hodie iam non habet eandem auram ac anno 1981, cum Nicolaus iam inter eos fuit, qui præstantem conventum Trevericum instruxerunt. Adiuncta hodierna crisi œconomica, vix inveniri potuerunt mæcenates; quare maximum obstaculum fuit pecuniæ egestas. ¶ Nicolaus gratum hospitem invenit in studiorum universitate Ratisbonensi, professorem Ianum Beck, qui auditorium et necessarios œcos præbuit in Instituto Philologiæ Classicæ. Argumentum electum est hoc: « Ad fines imperii Romani. Anno bismillesimo cladis Varianæ ». ¶ Centum triginta quattuor homines ad participandum nomen dederunt, inter quos nonnulli ex longinquis regionibus venerunt, ut Russia, Mexico, Australia et Fœderatis Americæ Civitatibus. ¶ Universitas Ratisbonensis recens est, cum solum post alterum bellum mundanum condita sit; nemo laudavit eius architecturam, quæ solum constat e cæmenticiis nudisque structuris omni elegantia carentibus; hoc tamen admirandum est, quod multi alumni litteris Latinis student. ¶ Martis die participes in auditorium primum conveniunt, ubi hora 17 fiebat inauguratio cum urbis universitatisque magistratuum salutationibus; gratum fuit urbis magistratum audire verba Latine proferentem. Academiæ præses, professor Tuomo Pekkanen, pauca verba de Academiæ inceptis fecit. Inaugurationem concludit professor Michael von Albrecht acroasi c.t. « Bellum Varianum, quid ad nos et cur Latine? » In qua præsertim nitens opere poetæ Christiani Theodorici Grabbe (1801-1836) merita Germanorum et Romanorum comparavit. Singulare enim erat annum anniversarium cladis Varianæ eligere ad Latinitatem celebrandam; præterea de Arminio iam diu Germanici nationalismi instrumento loqui commemorabat terribile atque nimis recens tempus « socialismi nationalis ». ¶ Quare fere omnes oratores, qui de Arminio deinde tractaverunt, multorum poetarum interpretationes potius elegerunt. ¶ Mercurii die, ut sequentibus diebus, sessio incohata est hora 8.45 cantu communi, quem regit professor Jürgen Leonhardt. Locus hic deest, ut de omnibus acroasibus referamus; aliquando autem acta conventus in lucem edentur. ¶ Præter acroases, postmeridiano tempore habebantur scholæ Latinitatis vivæ, ubi docebant Aloisius Miraglia, Inga Pessarra et Cæcilia Koch, atque scholæ versuum recitandorum, quas moderabatur professor Valahfridus Stroh. ¶ Aliquid novi in hoc conventu institutum est, quod vocatur « Disputatio publica in rostris »: medio in minore auditorio formæ semicirculæ sedebant quat-



tuor sodales, quibus erat inter se palam disputandum de barbaris et Romanis; publico licebat intervenire. ¶ Magister urbis participes hora 18.30 recepit in veterem curiam. Ibi in maximo œco, antiquo modo laute ornato, Hans Schaidinger sub baldachino stans nos diutissime Theodisce allocutus est. Nicolaus Sallmann ei eadem lingua respondit, translationem Latinam intermiscens. ¶ Vespere in aliquo œco veteris urbis Villius Ratisbonensis cum Alberti Magni cantoribus concentum musicum edidit. ¶ Iovis die, postmeridiano tempore proponebatur sive lustratio urbis sive duæ navigationes in Danuvio, quarum longior ducebat ad Walhallam, memoriale clarorum Germaniæ hominum. Infeliciter propter angustias temporis hæ navigationes fiebant eodem tempore ac scholæ et acroases; eligendum ergo erat. ¶ Gaudendum est quod non solum omnes acroases Latine factæ sunt, sed quæstiones et responsa (plerumque) eadem lingua. ¶ Vespere exhibitæ sunt pelliculæ ad Varum et Arminium spectantes. ¶ Veneris die post sessiones, hora 16 ad mentes relaxandas Dr. Marcus Junkelmann demonstrationem militum Romanorum sub divo fecit in area universitaria; tempestas erat iucundissima. ¶ Ad conventus conclusiones audiendas conveniendum erat hora 18.30 in minus auditorium. Nicolaus Sallmann dixit Academiam valere per opera suorum sodalium, quorum præsentibus singillatim rogavit ut de rebus actis agendisque palam loquerentur. Inter eos Aloisius Miraglia nuntiavit se magnum conventum Latinum proximo anno in Campania institutum esse. ¶ Restabat cena valedictoria, quæ participibus oblata est in caupona universitaria, « Uni-Pizzeria » vocata. Defuit sollempnitas, cum satis dispersi essent participes, sed non festivitas. ¶ Saturni die licebat itinera archæologica suscipere, sive ad Rhætiæ situs archæologicos, sive Monachium. ❖

Gaius LICOPPE

NOVA QVÆDAM DE SODALITATE *HARVNDINE*

TERTIVM NVNTIATVR LVSTRVM ATQVE INDICITVR

CERTAMEN HAICVVM LATINORVM (2010)

– scripsit Thomas Deneire, sodalitat̄is « Harundine » a thesauro –

Lectores lectricesque horum foliorum fideiiores, Lquales esse omnes sane confido, meminisse puto me abhinc aliquot menses parvulam adumbrationem conscripsisse *Sodalitat̄is Flandricæ Haicubus Latine Pangendis*, cui nomen est *Harundine*.<sup>1</sup> Quam proximo anno tertium suum lustrum celebraturam esse valde gaudeo quod hoc loco nuntio. Anno enim 1995to condita sodalitas nostra iam per quindecim annos non solum in sedulam exercitationem, verum etiam in latiore pleniorque cognitionem huius carminum generis incumbit. Itaque, ne hanc optimam occasionem silenter prætereamus, sodales tria ceperunt consilia concelebrandi. Primum libellum recentioris venæ fructus continens publicabitur, deinde certamen instituetur haicuum Latinorum, postremo sodalitas nostra studium est collocatura ut quædam haicua aliis sermonibus conscripta in Latinum convertat.

## 1. EDITIO LIBELLI

Duobus iam editis haicuum selectorum libris, q.t. *Haicu dum ludo* (1998)<sup>2</sup> et *Tonight They All Dance* (1999),<sup>3</sup> sodalibus hoc quoque tempore opportunum visum est nonnulla poemata recentissima colligi et prelis dari. Itaque autumnno tempore anni instantis anthologica « terlustralia », ut ita dicam, in lucem edentur, ubi lector quæ quisque sodalis conscripserit, haicuum Latinorum aliquot specimina offendet adiuncta Neerlandica (tum haicu, tum versus liberi forma) interpretatione. Hunc in libellum etiam versus, qui in certamine nostro aut in consilio interpretandi (vide infra) prodantur, includi possunt. Posthac licet omnibus nuntium mittere ad scribam nostrum (vide infra), ut iam nunc huius libelli emptionem profiteantur. Qui fecerunt, eorum nomina in *Tabulam Gratulatoriam* adscripserunt.

## 2. CERTAMEN HAICUUM LATINORVM

Porro sodalitate *Harundine* certamen proponitur haicuum Latinorum. Cuius quisque petitor exemplaria poematum suorum a die 15to mensis Octobris anni 2009ni usque ad Idus Martias anni 2010mi mittenda curabit, adiunctis interpretationibus seu Neerlandicis seu Anglicis. Hoc certamen et pueris (id est, qui adhuc gymnasia visitant), et adultis vatibus indicitur ita, ut utraque ætas sua de palma certet.

Quod ad pueros, præceptores ludimagistrosque adhortamur discipulos suos impellant ut honesto studio honestaque ambitione vel suo vel communi nomine condiscipulis coniuncti hoc certamen ineant. Hic

enim lusus (ita enim nuncupandum) versiculorum Latine conscribendorum proculdubio videbitur cum utilissima, tum iocundissima cottidianarum prælectionum exercitationumque variatio.

Adultis viris et mulieribus qui adhuc aliquantulum Latine sciunt, nostrum certamen copiam fecit ut ipsi novum hoc et, ni fallimur, insuspectum genus litteraturæ experiantur. Quis enim a scamnis scholaribus non sat linguæ Latinæ retinuit ut decem et septem syllabis quamlibet sensuum vel animi commotionem poetice caperet? Tantum oportet facias periculum! Certaminis leges quæ petitoribus sunt observandæ, facile inveniuntur in situ interretiali (vide infra) sodalitat̄is *Harundine* (sub sectione « Nieuws »).<sup>4</sup>

## 3. LATINA INTERPRETATIO HAICUUM ALIIS SERMONIBUS CONSCRIPTORVM

Tertio loco sodalitas *Harundine* collegis suis haicuis facultatem tribuere cupit ut nonnulla sua haicua Latio donentur et in libellum supra descriptum includantur. Quæ haicua iam prelis divulgata esse possunt, cum non ad certamen pertineant. Qui igitur velint, omnes invitamus ut posthac usque ad ultimum Decembris diem anni 2009ni non pauciora quam tria et quam sex non plura haicua ad scribam nostrum (vide infra) mittant, memoratis nomine et prænomine, inscriptione cursuali, telephonico numero, inscriptione electronica, die et anno natali. Plura de hoc consilio in situ interretiali (vide infra) sodalitat̄is *Harundine* (sub sectione « Nieuws »).

Qui nostram sodalitatem penitius scrutari volunt, referuntur ad situm interretialem sodalitat̄is *Harundine* (<http://perswww.kuleuven.be/~u0044197/harundine/>) aut in pagina *Google* vocabulum *Harundine* imprimitur et ad scribam nostrum: Hugo Kempeneers, Reigerstraat 22, B-1850 Grimbergen – 02/305 64 09 – [hugo.kempeneers@telenet.be](mailto:hugo.kempeneers@telenet.be)

1. Thomas Deneire, « Harundine. Sodalitas Flandrica Haicubus Latine Pangendis », *Melissa*, 147 (2008), 11-12.

2. HARVNDINE, *Haicu dum ludo. Een bloemlezing van Latijnse haiku's*, Aulos. Studies over oude talen en cultuur (Lovanii, 1998).

3. *Tonight They All Dance : 92 Latin and English Haiku*, Ed. by Dirk Sacré and Marcel Smets; Engl. transl. by Herman Servotte; ill. by Mark McIntyre (in urbe Wauconda (Ill.): Bolchazy-Carducci, 1999).

4. Dolemus quod illæ leges Neerlandicæ tantum sermone ibidem sunt descriptæ, sed quicumque Neerlandicæ non satis scit, semper a scriba nostro omnia quæ scire velit, petere potest.

## DE CARICA RHODIAQVE NAVIGATIONE

– refert Francisca Deraedt ; imagines fecit Iacina Verreet –

Postquam anno 1991 facta erat Melissæ navigatio ad Lyciæ litus, <sup>1</sup> expectandum erat alterum iter quo, etiam nave vecti, eius regionis lustrationem perficeremus. Quæ navigatio hac demum ætate est acta, non solum secundum Cariæ litus, sed etiam ad insulam Rhodum, quippe quæ haud longe absit ab his Turciæ oris.

Die ergo 22 m. Augusti in aeriportum urbis *Bodrum* sive Halicarnassi convenimus, septem participes e Belgica, Germania et Hispania oriundi. Ibi nos expectat navicularius, Italus in Turcia natus, hilaris inquit loquendo eximie volubilis. Ab eodem ad portum ducimur ; ibi enim stat celox nobis solis reservata, 27 metra longa, commodis diætis instructa. In magna stega mensa ad epulas, culcitæ ad meridiationem invitant. Hæc navis per integram septimanam domicilium erit nobis, Latine loquentibus, pæne solis præter – Deo gratias – tres nautas, nauarchum, adiutorem necnon coquum, cuius virtutes mox sumus valde probaturi.

Accepto poculo salutorio, quamvis ea hora musea iam sint clausa, statim constituimus locum reperire antiqui Mausolei. Hoc sepulchrum quarto sæculo ante Christum natum exstruendum curavit Artemisia, regis Mausoli uxor, arte tam magnifica ut haberetur inter septem mundi miracula. Ambulatio, sive potius ardua ascensio, postea producitur ad theatrum, similiter clausum, quod postero die sumus amplius visuri. Tota urbs constat e parvis quadratisque ædificiis albis, aspectu concinnis.

Prima cena iucunde sumitur in aura vespertina, lenito diei calore, mari tranquillo. In votis est aliquem sinum postea petere, ubi quiete pernoctare possimus ; dissuadent tamen nautæ, et quidem iure, ne nimium aberremus ab urbe quam cras sine mora lustrare volumus. At in portu prima nox est mera degustatio feriarum, quales æquales nostros eheu delectant : domus, naves, totus vicus videtur esse una ingensque disco-

theca, adeo strepunt omnia. Hora demum quarta matutina subitum fit silentium ; hora quinta clamat muazinus ; <sup>2</sup> est primus dies muslimorum annui ieiunii. Cum ientaculum sumimus hora septima semis, totus portus adhuc dormit.

Mausolei reliquias qui videre cupiat, Londinii in Museo Britannico nonnulla admirari poterit anaglypta et statuas. Ipso loco tantum supersunt fundamenta paucæque columnæ eversæ. Iuxta est museum parvum, sed bene instructum ; in eius parietibus ostenduntur multæ imagines necnon antiquorum auctorum testimonia, non solum in vernaculum translata sed, res nostris temporibus rara, etiam Græce et Latine proposita.

Paulo longius, theatrum antiquum diligenter refectum adhuc manifesto accipit spectacula. Inde prospectus patet ad mare et ad arcem Iohannitarum, quinto decimo sæculo exstructam visuque vere dignam, cum in ea multa exhibeantur ad artem nauticam resque in mari inventas imprimis pertinentia. Perplacet cæcus vitrorum, pulchris ampullis et antiquis vasis vitreis nitens. Sol mirifice splendet, calor augetur, tempus est prandendi. Postea fit navigatio trium horarum, præter insulam Coum, usque Cnidum.

Cnidi sunt duæ. Antiqua, in hodierno oppido *Datça* sita, quarto a.Chr.n. sæculo tota est derelicta magisque ad occidentem translata. Hanc Cnidum recentiore dictam e nave nunc conspicimus, theatrum in propinquo, forum paulo longius, spectaculum eo venustius quod nulla urbs moderna situm postea occupavit, nihil hodierni oculos offendit circum circa nisi, ad crepidinem, cauponula haud frequens. Non est hic portus verus, sed parvus maris sinus in quo ad ancoram stant paucæ naves veliferæ. Cælum est amœnissimum. Vespere postquam in aqua tepida natavimus præbentur sapidissimi cibi Turcici.

Hoc loco deserto late patent urbis antiquæ vestigia.



*Celocis stega omni tempore commoda.*



*Halicarnassi : situs Mausolei.*

Postero ergo die, sole magis magisque ardente, erramus inter vias, theatra, templa, porticus, tanta solitudine aliquatenus commoti, tamquam si nova quædam Atlantis nobis hic aperiretur.

Sub finem diei, perfecta navigatione duarum horarum, ancoram iterum iacimus in sinum tranquillum, ubi natare licet. Coquus noster, supra stegæ pluteum procurrens, mirum in modum præceps desilit in aquam, totus vestitus. Isti homines videntur esse in mari nati.

Martis die, cum Rhodum insulam Græcam lustrare velimus, nautæ in oppido *Datça* legitima telonica habent curanda; non enim tam libere transire licet e Turcia in Græciam, neque e Græcia in Turciam. Interea nos in vico ambulantes frustra quærimus antiquæ Cnidi vestigia, quæ ceterum scimus esse paucissima. Ecce autem iuxta viam officium periegeticum: ibi procul dubio omnia nobis indicabuntur. At eheu philologos animo simplices! In officio periegetico sedet puella pulchella quidem et affabilis, sed parum edocta, quæ



*Cnidi: theatrum et nostra navis in sinu.*



*Cnidi: templum Dionysi.*

nihil habet narrandum nisi de bonis cauponis locisque balneariis.

Interea nautæ res suas perfecerunt, ancoramque solvimus Græcam insulam Symen primum petitori. In itinere petente Avito velificandi studiosissimo, nautæ vela pandunt. Exstincto motro, attentis omnibus, mirum fit silentium. Nemo iam loquitur, solus auditur venti flatus in velis fluctusque maris. Multo lentius progredimur, sed iter nunc aliquid habet sollemnitatis.

Nitidula est parva insula Syme, cum domibus ad collis latus applicatis, omnibus genere neoclassico exstructis. Tempori advenimus: nam appropinquante vespere angustus portus mox celocibus impletur. Sol cadit pone colles, affertur propoma, oriuntur disputationes de verbis novandis deque lingua Latina propaganda.

Postero mane tres horas navigandum est usque ad insulam Rhodum. Ventus est vehemens, undæ altæ. Sed cum pervenimus, quale spectaculum! Ei, qui Rhodum sive autocineto sive aeroplano petunt, nesciunt quam pulchrum sit insulam imprimis e longinquo conspiciere, mox balnearum arenas, eorum sellas et umbrellas ordine rectissimo dispositas, tandem portum colosso, ut aiunt, olim ornato, nunc autem statua cervi urbis insigne. Plurimæ hic stant naves omnis generis: ingentia ædificia fluitantia, ditissimorum hominum celoces, modestæ naviculæ. Post prandium statim aggredimur ad urbem mediævalem, palatium equitum, vetus nosocomium nunc museum archæologicum factum. In quo inter omnia maxime admiramur Venerem Rhodiam, parvam, marmoream, eleganter pronam ad corpus lavandum. Quibus visis cum iam vesperascit calorque minuatur, opportunum videtur ad arcem ascendere, ubi tres columnæ testantur olim stetit templum Apollinis; eodem loco invenitur parvum theatrum et stadium, utrumque tamen ita nimio studio restauratum, ut plane videatur novum. Aspiciuntur



*Rhodi portus.*

etiam fundamenta quorum natura est dubia, sed quæ nonnulli hodie putant ad verum colossi situm pertinere.

Iovis die Lindum petimus ræda meritoria. Incredibilis est in hoc parvo vico hominum concursus. Ad arcem alii pedibus ascendunt, alii asino vecti. Has miseras bestias in sæpto congregatas asinarii commendant clamantes « Taxi ! Taxi ! ». Supra ut verum confitear pauca antiquitatis monumenta, et quidem omnino reconstructa, ut videatur esse scæna ad pelliculam cinematographicam apparatus. Contra, theatrum infra potius est area inculta, purgamentis referta. Oppidum tamen ipsum, in quo adhuc supersunt ædificia quinti decimi sæculi, est vere pulchrum, aut esset pulchrum, nisi omnis domus transformata esset in tabernam periegeticam. Meridie iam Rhodum redimus, istas nundinas fugientes.

Veneris die, Marmarim appulsi, antemeridiano tempore vicum lustramus, hac hora desertum, qui videtur e tabernis nocturnis unice constare. Visu tamen dignum est parvum museum in vetere castello instructum : paucæ statuæ, sed pulchræ ; nonnulla etiam Solimano eiusque tempori dicata.

Prandio autem sumpto, autocineto ducimur Caunum, quæ antiqua urbs una hora semis distat a Marmaris portu. Caunus oppidum olim florens tamen propter propinquas paludes culicibus erat infestum eaque improspera condicione famosum. Illuc pervenitur scapha, e qua in rupibus etiam lauta conspiciuntur sepulchra generis Lycii. Inter parietinas ambulantes, in libello periegetico a Volfgango (pro parte Turcica) et Gaio (pro parte Græca) conscripto<sup>3</sup> legimus Turcos archæologos effossiones hic fecisse. Gaius tum nauarchum, qui nos comitatur, interrogat num iidem adhuc pergant in Caunum investigare. « Hoc fieri non potest, ait nauclerus rei procul dubio ignarus, nam Turci nihil

agunt nisi edunt, bibunt, dormiunt. » Nos miramur quæ ei sit de propriis popularibus opinio... In reditu scapha per sinum transit, ubi vivunt testudines marinæ. Ad eas protegendas ambulatoribus interdictum est litus propinquum, ubi ova deponunt.

Sic ad finem vergit hoc iter singulare. Cras enim non iam navigabimus, sed domum avolabimus ab aeriportu urbis *Dalaman*, in terra firma paululum vacillantes, sed pulchrarum imaginum pleni. ❧


1. Vide L. Stoelinga, « De itinere Latino altero sive de navigatione præter Lyciæ litus », *Melissa* n. 43, Sept. 1991, p. 3 sq., et Volfgangi Jenniges opus c.t. *Mystagogus Lycius sive de historia linguaque Lyciorum*, ed. Melissa, 1996.
2. C. Helfer, *Lexicon Auxiliare*, Saraviponti, Societas Latina, 1991, p. 382 : « Muezzin muazinus ».
3. Textum huius libelli legere potes in Melissa sede interretiali, hoc loco, ubi plures etiam ostenduntur imagines a lacina magna arte confectæ : [http://web.me.com/fundatiomelissa/Site/Navigatio\\_in\\_Caria.html](http://web.me.com/fundatiomelissa/Site/Navigatio_in_Caria.html)



Rhodi : museum archæologicum.



Nitidula insula Syme.



Caunus : sepulchra generis Lycii.

# PERIPEDEMI PERIEGESIS

## PER TERRAS SOMNIANTIVM ET VIGILANTIVM (PARS VLTIMA)

– scripsit Bradlius Walton –

### VII. REDITUS AD THEISTIAM

Tam prope ad Theistiam, si non loco, certe animo, iam adductus sum, ut constituerim domum re vera redire, ut viserem parentes fratresque, et eis, quæ expertus essem, reputatis, decernerem quid postea esset mihi faciendum.

Nec dico nec nego philosophiam religionemque Theistiensem omnino veram esse, nec præcepta civitatum, quas viserem, omnino falsa. Attamen, cum Theistiensem cultum cultui Deistiensi confero, sentio potius esse colere deum strenuum hominibusque auxiliantem quam desidem et incuriosum. Necnon malo civitatem incolere, ubi mores civibus sanctiores quam philautia et inhumanitas observandi sunt. Cum Physienses perpendo, quamvis eorum scientiam rerum naturæ magni faciam, tamen arrogantiam moleste fero, nec possum quin eam derideam simulationem, qua iactant facultatem verum cognoscendi philosophia improbatam sua; qua asseverant, nos agere eo libero arbitrio, quod præceptis suis captum esse ducunt; qua sperant pretia moralia, etiamsi sua nullum præbet doctrina officiorum moralium principium. Theistienses quidem cives ponunt deum, qui fidem sensibus præstat in facultatem res cognoscendi; iure, quod determinismum seu fatum negant, liberum arbitrium esse affirmant; et habent in indole, virtutibus, iussibus eius dei, quem colunt, principium pretiorum moralium. Cum perpendo Udenienses, quamvis idem simulationis intellectualis ac Physiensium genus non inveniam, tamen invenio philosophiam tam horribilem, ut cives aut mortem sibi consciscant, aut neglegentes ea, quæ principiis suis subsunt philosophicis, vivant tamquam et mundo et ipsis insint ea dignitas et significatio, quæ secundum præcepta sua, non sunt. Theistienses quidem hanc vitant simulationem, quippe qui credant pretium vimque et in mundo et in ipsis inesse, et qui vivant, aut saltem vivere conentur, convenienter præceptis suis. Quandoquidem non video, cur philosophiam Udeniensem veriolem ducam Theistiensi, mihi potius videtur vivere secundum persuasionem humaniorem et vitaliorem, aut certe tolerabiliorem. Cum Hyparchienses perpendo, intellego, si credas orbem obiectivum nec pretium nec significacionem habere, difficillimum esse, credere et dignitatem et vim in mundo subiectivo inesse. Nec mihi persuasum est, eligere per se bonum esse, non eligere per se malum. Duco sententiam Theistiensium, pretium vimque orbis subiectivi pendere e pretio vique orbis obiectivi, non solum esse animæ aptiorem, sed etiam veriolem esse, eligere non bonum esse, nisi bonum eli-

gatur, nec malum esse non eligere, si malum non eligatur. Postremo, quamvis placeat doctrina Christianorum Hyparchensium, qua intellegunt vitam Christianam magis constare intima cum deo consuetudine, quam nuda regularum moralium observatione, tamen cordatius mihi videtur cum Theistiensibus credere, incarnationem et resurrectionem et cetera Sacræ Scripturæ prodigia aliquid significare, quod facta sint, et deum aliquatenus cognosci posse, quam cum Christicolis Hyparchensibus credere, ea facta, quæ numquam facta sint, nihilominus aliquid significare, et totum manere numen in caligine et menti et præcordiis impenetrabili.

Iam aliquantum mutatus sum ea malis orta dubitatione, quapropter Theistiam reliqueram. Nam opera vel gratiæ divinæ vel temporis præteriti magis perspicio, mala nec naturalia nec moralia prohibere, quominus mens credat deum esse et bonum esse. Necnon incepti intellegere mala, quamvis facilius impediunt, tamen non prohibere, ne præcordia dei existentiam et bonitatem agnoscant. Interdum quidem metuo, si minus de dei existentia et bonitate dubitem, ne memoriam amicæ providentiæ illius dei interfectæ destituam, et tamen metuo quoque, si dubitare pergam, ne pietatem eius pulcherrimam deseram. Necnon in mentem subit, nisi deus esset, amicam in perpetuum extinctam esse, neque umquam resurrecturam. Nunc enim usque adeo saltem veni, ut magis respiciam puellæ amissæ dignitatem quam meum dolorem, charitatem erga amicam quam iracundiam in deum. Iam enim libentius credo, puellam insignem adeptam aut adepturam esse vitam æternam, quam deum non esse. Ne multa, etiamsi nullæ essent mihi causæ philosophicæ credendi, deum esse, tamen causa puellæ malo credere, deum esse, quam propter dolorem meum, deum non esse.

Sparsæ nostras per regiones montanas multæ, quas nondum visi, restant civitates, quarum quæque sua philosophia prædita est. Etsi non possum, quin eas earumque doctrinas inspicere cupiam, tamen iter, quod iam absolvi, circuitum tam iustum fecit, ut libeat in præsens Theistiæ quiescere, dum decernam, utrum paulisper maneam an viam repetam.

Ingressus mentis in oras  
minime quit sistere plantam.  
Nam quælibet arva pererrat  
contingunt mille plagarum,  
quibus insunt mille viarum,  
pelagi quæ verticis instar  
ambagum in mille feruntur. ❧



# DE PRONVNTIATIONE LATINA ET GRÆCA QVID DIXERIT ERASMVS ROTERODAMVS

– narrat Samius Jansson –

Erasmus Roterodamus erat doctor theologiæ et humanistarum princeps insuperabilis, qui variis de rebus expedita et naturali eloquentia Latine scripsit velut a matre linguam Latinam didicisset. Verisimiliter natus est Goudæ anno 1469 ante diem quintum Kal. Nov. Postea Erasmus ipse voluit ut lectores crederent eum esse ætate maiorem propter hanc causam, sicut Preserved Smith in vita Erasmi<sup>1</sup> scripsit, quod si patret eum natum esse anno 1469, concludi posset patrem eius iam tempore pueri conceptionis iuratum monachum fuisse ideoque cælibem factum. Erasmi parentes, quidam Gerard Goudensis et eius concubina, vidua Margareta medici cuiusdam filia, numquam erant matrimonio sacro coniuncti. Erasmus habebat etiam seniore fratrem Petrum, qui videtur esse natus anno 1466. Erasmum sine dubio pudebat huius rei, quod parentes non ante aram Dei se coniunxerant, sed istius rei maxime, quod pater Margaretam gravidam fecerat postquam votum monachale nuncupaverat. Ea ætate concubinatio illicita videlicet minus nefas existimabatur quam deceptio voti monachalis. Erasmus quamquam cælebs vivebat tamen scripsit *Declamationem in genere suasorio de laude matrimonii*, quæ facillime reperitur inter opera Erasmi divulgata ab Universitate studiorum Lugduni Batavorum in interretis loco « Itinera Electronica ». Sed etiam contra matrimonium verba fecit Erasmus in sua *Epistola debortatoria*.

Anno 1528 Erasmus composuit dialogum *De recta Latini Græcique sermonis pronuntiatione*, quem iam anno 2006 repperi in interrete quemque nuper servavi in hoc loco : <http://users.jyu.fi/~sjansson/drp.htm>. Criticam editionem (*DRP*) divulgavit Maria Cytowska anno 1973.<sup>2</sup> Editio dialogi Coloniae 1529 divulgata, quæ nuper in PDF-formam conversa est, facile in Bibliotheca Augustana interretica quæri potest. De pronuntiatione Latina Erasmus per occasionem etiam in colloquio cui nomen est *Echo* scripsit.

Ipse ardentem volui legere qualia præcepta Erasmus traderet de pronuntiatione Latina, nam hic in Finnia Latinistæ sequuntur duas distinctas methodos in hoc, quod attinet ad pronuntiationem digrapharum ‘æ’ et ‘œ’. Quidam dicunt nomen Cæsar [kê:sar], alii [kâisar]. Reapse tantum Aboæ Cæsarem nominant ita ut duas distinctas vocales sonent dum legunt digrapham ‘æ’. Ipse studia mea Latina incepti Aboæ ideoque didici methodum diphthongos [ai] et [oi] sonandi semper ubi lego verba digraphis ‘æ’ et ‘œ’ scripta. Postea studia mea perexi Granivici ubi docuerunt Cæsarem esse Latine « Kesarem » sed, quod mirum mihi videbatur, si Græca legamus, dicendum sit « Kaisar ». Granivici præceptores mei paululum aliter pronuntiabant quam ego,

qui antequam Granivicum migravi versatus sum Aboæ, sed iidem præceptores me patienter docebant mihi que animum confirmaverunt, ut linguam Latinam adhibere inciperem scribendo et loquendo, de quo gratias maximas ago præceptoribus meis doctissimis. Hodie Finnis grex Latine loquentium infeliciter minor est quam erat ante annos quindecim. Parum igitur refert quomodo ipse hodie Latine loquar, nam plane numquam occasio eius rei datur hic in Finnia. Hoc sine dubio mirum apparet eis qui auscultant nuntios Latinos quotseptimanis a Radiophonia Finniæ Generali missos ! Una sola occasio Latine loquendi mihi præbita est ineunte vere 2007. Tunc enim Granivici ad mensam sedebam in festo vernali Latine linguæ studentium Granivicensium cum pristino meo præceptore Erico Palmén et nullum verbum dixit mihi doctor Palmén nisi Latine. Ipse scilicet Latine respondi. Hoc alios qui aderant, valde iuvabat, sed maxime nos ipsos, quia rarissime in Finnia possumus obviam ire consocio Latine loquenti.

Erasmus legerat opera grammaticorum inter quos Diomedes, Marius Victorinus, Priscianus, Terentianus Maurus, Donatus, Servius, Probus etc. Etiam legerat opera auctorum suæ ætatis inter quæ opus *De Orthographia* quod scripsit Ioannes Tortellius Italus. Maximi æstimabat Erasmus Quintilianum, cuius nominis mentionem facit plus quam centies in dialogo *DRP*. Erasmus anno 1508 lustravit Venetiam, quo iter fecit ut cognosceret Aldum Manutium et humanistas alios Venetianos inter quos erant Hieronymus Aleander et Ianus Lascaris, qui ambo Græcas litteras Erasmum docebant validius quam eius præceptores pristini potuerant. Aldi circulus vocabatur Neacademia sive Philhellenes. Philhellenes Græce semper loquebantur, non Latine, ne quidem inter cenam. Regulam etiam servabant secundum quam si quis Latine aliquid dixisset neque veniam petivisset, esset ei multa subeunda unius assis. Sin autem quis Græce locutus esset sed pessime, multa semiassis esset subeunda. Et si quis miser eundem errorem bis fecisset, multa esset totius drachmæ subeunda huic barbaro.<sup>3</sup> Aldus et collegæ eius ediderunt opera antiquorum auctorum et voluerunt servare orthographiam antiquam. Ad hoc adhibebant inscriptiones antiquas, in quibus verba aliter scripta sunt quam in manuscriptis mediævalibus. Ita inceperunt mirari, an prisca aliter pronuntiassent quam ii qui Latine loquerentur sæculis subsequentibus.

Multa legi opera hodierna, antiqua et mediævalia ut me docerem, quid secundum auctores pro certo dici posset de pronuntiatione verborum Latinorum. Scilicet bene legi opera grammaticorum, quæ Henricus Keil edidit in suis voluminibus octo *Grammaticorum*

*Latinorum.*<sup>4</sup> Legi, quid scripsisset Edgar Sturtevant, quid Maria Bonioli, quid Alfonzo Traina, quid Veikko Väänänen, quid Manu Leumann, quid Gerhard Meiser, quid W. Sidney Allen<sup>5</sup> et ceteri hodierni investigatores de pronuntiatione Latina et Græca. Inter hæc etiam didici adhibere motrum quærendi interreticum cui nomen est « Google Book Search ». Mox intellexi hoc motrum esse mirabile navigandi vehiculum ad bibliothecas electronicas mundi. Id adhibendo potui mihi accipere et in computatro servare editiones operum quæ divulgatæ sunt ante annos 70. Itaque quidcumque divulgatum est e.g. sæculo XIX operæ pretium est motro « Google Book Search » quærere. Domi igitur valde commode sedens mihi ex interrete piscavi tomos I, II et IV ex Keilii editione *Grammaticorum Latinorum*, editiones varias Dionysii Halicarnassensis operis integri *De grammatica Græca*, *Orthographiam Tortellii* anno 1495 editam, multas editiones Quintiliani *Institutionum oratoriarum*, Plutarchi opus *De Musica* bilingue Græce et Latine editum, *Micrologum* et *Epistulam ad Michaelem Guidonis Arretini*, Eberhardi Betuniensis *Grecismum*, Macrobiani *Commentarium in Ciceronis somnium Scipionis* et pluri- ma alia opera.

Postquam tam multa opera legi et præcipue talia in quibus aliquid dictum est de pronuntiatione Latina et Græca, paullatim et admodum laboriose mutavi methodum pronuntiandi meam. Hodie tamen non ægre fero quamvis aliquis dicat « Kesar » aut « Sesar » aut « Sisero » aut « Tsisero ». Quod attinet ad Aboenses, quamquam illi Cæsarem nominant « Kaisarem », ne eorum quidem pronuntiatio mihi iam satis placet. Aboenses enim non servant sonum *u* consonantis sed adhibent *v* fricativum contra pronuntiationem classicam. Hodie ipse dico *veni, vidi, vici* [wé:ni:] et [wí:di:] et [wí:ki:]. Correpta vocalis in Latina lingua semper est apertior quam eadem vocalis producta. Itaque ubi pronuntio *Cæsarem*, efferro i-vocalem apertam post a-vocalem, sed ubi pronuntio verbum *vidi*, efferro clusas i-vocales. Eadem ratione e-vocalis correpta apertior efferretur in verbo *bene* quam e-vocalis producta in verbo *feci*. Meminisse oportet parenthesis obliquis / / clusum symbolum significare sonum, qui existit in sermone. E.g. in sermone potest esse distinctio inter fricativum /v/ et semivocalem /w/ quæ distinctio haud semper in orthographia patet. Parenthesibus uncatis [ ] ostenditur verbi pronuntiatio, e.g. Cicero [kíkæro:]. Quomodo internationalia symbola phonetica sint pronuntianda, possumus facillime discere adhibendo locum interreticum IPA-symbolorum (Internationale Phoneticum Alphabetum): <http://web.uvic.ca/ling/resources/phonlab/index.html>, ubi eadem symbola traduntur humana voce pronuntiata.

Erasmus docet inter alia diphthongos semper esse pronuntiandas ita, ut clare audiantur duæ distinctæ

vocales. Nos posse ad hoc assuescere, si primum e.g. ubi verbum *Musæ* pronuntiemus, dicamus « musæ » distinctis vocalibus *a* et *e*. Postea nos posse easdem vocales iungere et pronuntiare diphthongum *musæ*.<sup>6</sup> Cæsarem Erasmus vult nominare « Kaisarem » et affirmat Germanos Suevosque sæculo XVI ita fecisse.<sup>7</sup> Concludendum autem non est Erasmum semper pronuntiasse digrapham ‘æ’ ambas diphthongi vocales distincte sonando. Nam ubi de accentibus loquitur, dicit dictiones *fēræ similem* et *ferè similem* non posse discerni, nisi propter acutum in illa, gravem in hac.<sup>8</sup> Litteram *c* semper esse pronuntiandam [k], sicut Græca littera κ pronuntiat, et hac in re Erasmus sequitur grammaticorum regulas in quibus dictum est litteras *c, k, q* semper inter se servare eundem sonum.<sup>9</sup> Erasmi ætate *u* consonans et *u* vocalis nondum distinctæ erant characteribus *v* et *u*, sed secundum morem ætatis Erasmus adhibebat litteram *v* in verborum initio, litteram autem *u* in omnibus aliis locis, ambasque litteras pro sono et *u* consonantis et *u* vocalis. Erasmus monstravit sonum Latinum *u* consonantis fuisse antiquis temporibus eundem ac illum sonum quem Batavi, ut dicit, tunc scriberent littera *w*. Etiam monuit digrapham *ph* debere pronuntiarum ut *p* aspirata [p<sup>h</sup>] et non ut [f], sicut mos erat tunc et est adhuc. Nihilominus non credit homines velle permutare suas veteres consuetudines: « Cætera facile corrigentur, nimirum vt aliquo discrimine sonemus *f* in *filius* et *ph* in *Philippus*. Cæterum illud durum, si quis pro *wanus* sonet *wanus* aut pro *riuwus* *riuwus*, atque item in cæteris, quæ per *v* consonans efferuntur. »<sup>10</sup>

Hic iuvat etiam famæ cuidam tenacissimæ de Erasmi loquendi consuetudinibus contradicere. Nam sunt scriptores<sup>11</sup> hodierni, qui credunt Erasmum ipsum numquam secutum esse suas regulas pronuntiandi, sed semper ubi Græce legeret, ratione Byzantina verba extulisse, ubi autem Latine, ratione mediævali. Hæc fama orta est post mortem Erasmi (1536). Ingram Bywater narrat Henricum Coracopetræum audivisse hanc fabulam a Rutgero Rescio et postea scripsisse notam, quam in opere suo servaverit G. I. Vossius.<sup>12</sup> Bywater demonstrat fabulam esse verisimiliter fictam post annum 1569. Coracopetræus inter alia narrat Erasmum scripsisse dialogum *DRP* Lovanii, sed hoc falsum est, nam constat dialogum *DRP* esse scriptum Basileæ. Vossius iam dubitabat, num ista fama vera esse posset.<sup>13</sup> Feliciter possumus legere, quid Erasmus ipse dixerit de hac re. Primum, Erasmus suadet, ut adhibeatur ratio pronuntiandi priscorum, dum legamus opera antiqua: « veluti quum citamus priscorum dicta aut ad illa alludimus. »<sup>14</sup> Deinde, Erasmus etiam narrat pronuntiationem iam fuisse multimodis mutatam antequam ipse de hac re scriperit: « Et nunc in scholis feruntur, quæ ante annos triginta fuissent explosa; adeo quædam facilius elabuntur quam expelluntur. Quis olim tulisset in templis pronuntiantem

‘Timótheus’ antepenultima acuta? Aut ‘kyrie eleeson’ septem syllabis et absque diphthongo? Aut ‘Christè’ sonantem pro ‘Cristè’? Nunc probantur etiam, non modo feruntur. »<sup>15</sup> Tertio, Erasmus suadet, ut iuvenes bene doceantur clare pronuntiare: « Cæterum illa debet esse curarum prima, ne puer Græce Latineque pronuntians ex vulgari sermone vitia trahat. »<sup>16</sup> Cur proposuisset talia, nisi cogitasset et adultos debere emendate loqui? Quarto, Erasmus dicit vera consilia non esse prætermittenda si nobis proposita sit scientia de ratione recta pronuntiandi: « Cæterum posteaquam moniti sunt amanter ab iis, qui hisce in rebus sapiunt, cum eadem opera possint recte pronuntiare qua peperam pronunciarunt, si postea persistierint in male solitis, et reiecta spretaque doctiorum admonitione, scientes iam errare pergant, non video sane quo pacto queant a graui crimine excusari. »<sup>17</sup> Quinto, Erasmus suadet, ut etiam docti viri, inter quos ipse numerabatur, mutent rationem suam pronuntiandi: « In hoc tamen admonui, vt litteratores paulatim emendent quod deprauauit vsus. In paracletis, idolis, et similibus inique sibi ignoscunt, qui tam morosi sunt in alios, si quid forte secus pronunciarint quam ipsi, etiam si id rectius fuerit. Atque hæc obiter admonui, non meo stomacho consulens, qui ne tantulum quidem alienis erroribus solem commoueri, sed ipsorum consulens saluti. »<sup>18</sup> Et postremo, Erasmus confitetur se aliquando pronuntiare contra regulas suas, hoc autem addit se facere non propter negligentiam suam sed propter ignorantiam auscultantium: « Et si mihi disputandum esset in scholis publicis, ineptus essem, si nihil tribuerem ibi receptæ consuetudini; præstat enim balbutire cum balbis quam et rideri nec intelligi. »<sup>19</sup>

Erasmus non solum de pronuntiatione characterum Latinorum et Græcorum narrat sed etiam loquitur de accentu, de syllabarum quantitate etc. Erasmus credebatur accentum Latinum fuisse musicalem simili modo ac accentum Græcum. Hunc enim musicalem fuisse, investigatores<sup>20</sup> Græcæ linguæ narrant, tempore Platonis. Quæ autem mihi quam maxime placet in dialogo Erasmi, ea est eius faceta hilarisque ratio scribendi. Erasmus lectorem alloquitur sicut amicum suum intimum et simul ac de admodum difficilibus rebus ad pronuntiationem Latinam et Græcam attinentibus argumenta valida profert etiam animum lectoris labore legendi gravatum facetiis lepidissimis subleuat. Hic igitur propono fabulam breuem quam Erasmus nobis narrat de sacerdote quodam balbutiente: « Sacrificio cuiusdam insigniter hoc vitio laboranti, quum adornaret immolare, contigit minister pariter eidem obnoxius malo. Vbi ventum est ad κύριε ἐλέησον, quod apud nos alternis dicitur, multum temporis adsumptum est, priusquam ter absoluerent *kyrie eleeson*. Tandem sacrificus, vt hoc hominum genus dicitur iracundius esse, ‘Quid fiet’ inquit; ‘tun’ me derides, an ego te?’ Et exutus amictu sacro reliquit aram, magno risu nostro. »<sup>21</sup> ❀



Imago Erasmi ab Alberto Dürer depicta anno 1520. E Luparæ museo.

1. Smith, Preserved 1923. *Erasmus – A Study of His Life, Ideals, and Place in History*. New York, 7-8.
2. Cytowskæ critica editio est in tomo ASD 1,4 (ASD = Editio Amstelodamensis Erasmi operum omnium). Johannes Kramer anno 1978 perfecit editionem bilinguem Latine et Theodisce (*Beiträge zur Klassischen Philologie*, Heft 98, Meisenheim am Glan). Maurice Pope dialogum totum Anglice convertit anno 1985 (*Collected Works of Erasmus*, tomus 26, Toronto).
3. *DRP*, 102.
4. *Grammatici Latini*. Vol. 1 et 4-8. ed. H. Keil; vol. 2-3 ed. M. Hertz, Lipsiæ 1855-1880. Iterum Hildesheimiæ 1981.
5. Bonioli, Maria: *La pronuncia del latino nelle scuole dall'antichità al rinascimento*, Augustæ Taurinorum 1962. Sturtevant, Edgar H. *The Pronunciation of Latin and Greek*, Philadelphici 1940<sup>2</sup>. Traina, Alfonso: *L'alfabeto e la pronuncia del latino*, Bononiæ 1967<sup>3</sup>. Väänänen, Veikko: *Le latin vulgaire des inscriptions pompéiennes*, Berolini 1966<sup>3</sup> et *Introduction au Latin vulgaire*, Lutetici 1981<sup>3</sup>. Leumann, Manu: *Lateinische Laut- und Formenlehre in opere Lateinische Grammatik* (M. Leumann - J. B. Hofmann - A. Szantyr), Monachi 1977<sup>2</sup>. Meiser, Gerhard: *Historische Laut- und Formenlehre der Lateinische Sprache*, Darmstadii 1998. Allen, W.S. *Vox Latina – The Pronunciation of Classical Latin*. Cantabrigiæ 1988<sup>2</sup>.
6. *DRP*, 72.
7. *DRP*, 58 et 94.
8. *DRP*, 98.
9. *DRP*, 76; vide e.g. Quintiliani *Institutionum* liber 1,4,9 et 1,7,10.
10. *DRP*, 85-6.
11. Allen 1988<sup>2</sup> (cit. in adnotatione 5 supra), 103. Kukenheim, Louis: *Contributions à l'histoire de la grammaire grecque, latine et hébraïque à l'époque de la renaissance*, Lugduni Batavorum 1951. Allen, W. S. *Vox Græca: The Pronunciation of Classical Greek*, 128, Cantabrigiæ 1974<sup>2</sup>.
12. Bywater, Ingram. *The Erasmian Pronunciation of Greek and its Precursors*, 8. Oxoniæ 1908.
13. Vossius, Gerhard Joannes. *De Arte Grammatica*, cap. 28, pag. 101-2. Amstelodami 1635.
14. *DRP*, 100.
15. *DRP*, 100.
16. *DRP*, 100.
17. *Adnotatio in Ioannem 14:26*, 63, quam edidit John J. Bateman in symbola sua « The Development of Erasmus' Views on the Correct Pronunciation of Latin and Greek », 62-65, *Classical Studies Presented to Ben Edwin Perry*, ed. B.E. Berry, Illinoisi 1965. Hanc adnotationem Erasmus scripsit ad suam editionem Græco-Latinam Novi Testamenti.
18. *Adnotatio in Ioannem 14:26*, 65.
19. *DRP*, 100.
20. E.g. Allen. *Accent and Rhythm – Prosodic Features of Latin and Greek: A Study in Theory and Reconstruction*. Cantabrigiæ 1973.
21. *DRP*, 47.

# DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (V) RVINA OCCIDENTIS

– scripsit Gaius Licoppe –

Reliquimus Orientale Imperium cum anno 474 inchoatur Zenonis regnum (474-491). Sed quid usque ad hoc tempus evenit in Occidente, ubi imperium, ut supra dictum est, manet artissime coniunctum cum Imperio Orientali ?

Ultimus imperator Occidentalis aliqua prædicitur potestate est Valentinianus III (425-455). Filius est Gallæ Placidie, cuius vita quodammodo est speculum illorum perturbatorum temporum. Anno 392 nata e Theodosio I eiusque secunda uxore Galla, Ælia Galla Placidia non diu vivit Constantinopoli in Palatio Sacro. Nam, cum Honorius, eius frater consanguineus, anno 395 imperator fit partis Occidentalis, eum Romam comitatur.

Cum Visigothi, Alarico duce, Romam obsident, Galla Placidia in Urbe est, dum Honorius Ravennæ cautius sedet. Roma capta direptaque, Alaricus Gallam Placidiam, tunc duodeviginti annos natam, secum captivam ducit in Italiam meridionalem, ubi ipse eodem anno mortem obit.

Ataulphus, eius successor, Visigothos anno 412 in Provinciam ducit, ubi ut foederatus nonnullos seditiosos pro imperatore Honorio de medio tollit. Ataulphus tunc putat suum esse imperium Romanum regenerare, in quem scopum Gallam Placidiam uxorem ducit, primum more Germanico, deinde, Narbone anno 414, more Romano, Romana indutus veste. Anno 415 Galla Placidia filium parit, Theodosium vocatum, sed paucis post mensibus infans moritur. Paulo post Ataulphus trucidatur a suis, qui eum habent Romanorum nimis similem.

Constantius, Honorii magister militum, qui bellum feliciter gerebat in Gallia contra regiminis occupatores et gentes barbaricas, Visigothos valet e Provincia expellere et in Hispaniam compellere ; Gallam Placidiam recuperat, quam anno 417 uxorem ducit ; duos liberos habent, filium, futurum Valentinianum III, et filiam Honoriam. Anno 421 imperator factus, Constantius III una cum Honorio regnat sed eodem anno moritur.

Cum Theodosius II Constantium III ut imperatorem agnoscere noluerit, Galla Placidia cum liberis Constantinopolin petit, ubi conatur Theodosio suadere ut suus filius Valentinianus fiat Honorii successor.

Honorius anno 423 Ravennæ vita fungitur ; eius aula successorem eligit Iohannem, primicerium notariorum paganumque magistratum optimæ famæ, qui omnes sectas religiosas pacifice tolerat. Instigante autem Galla Placidia, Theodosius II Iohannem non agnoscit, sed Valentinianum adhuc puerulum facit Augustum et imperatorem. Iohannes tunc scit se bel-

lum vitare non posse. Hic primum apparet iuvenis Ætius, quem Iohannes anno 424 legatum apud Hunnos mittit, auxilium petiturum. Celerius tamen Theodosii II exercitus Aquileiam occupat atque aulam Ravennatem cogit Iohannem tradere, qui, manu secta, in Aquileiæ circo circumvectus, plebis contumelias patitur, antequam obruncetur.

Nimis sero advenit Ætius cum Hunnorum multitudine, quare prudenter ad victores transgreditur, nec sine fructu. Sex tantum annos natus, Valentinianus III Romæ anno 425 sacratur imperator Occidentis, cum regni habenas teneat eius mater Galla Placidia una cum Ætio, « Romanorum ultimus » qui dicitur.

Galla Placidia et postea Valentinianus III, qui ab anno 433 ipse regni habenas tenet, sunt strenui persecutores et paganorum et hæreticorum christianorum ; anno 438 ludi circenses interduntur.

Ætius, cui favet in aula factio barbaros respicientium, anno 426 fit Galliarum præfectus prætorii. Ibi barbaras invadentes gentes sive vincit, sive ultra Rhenum repellit, sive in ipsa Gallia ut foederatos collocat. Duæ gentes præcipue sunt notandæ : Franci Salii collocantur circa Tornacum, unde sexto sæculo proficiscetur Chlodovechus ad suum Gallicum regnum creandum, et Burgundii, quos in Sabaudia collocat.

Gallia plus minusve servata, tota Hispania occupatur præcipue a Visigothis, Suebis et Vandalis. Africam adhuc integram regit comes Bonifacius ; is in Imperii aula Ætii æmulus est et eius dolos timet, quare Vandalos anno 429 in Africam arcessit, qui eum tueantur ut foederati. Eorum rex, Gesericus Nothus, pactum cum Bonifacio factum non respicit ac tota Mauretania et Numidia potitur. Deceptus Bonifacius in Italiam redit, ubi, res mira, a Galla Placidia non reprehenditur ; contra Ætius suis muneribus destituitur. Bello inter æmulos orto, Bonifacius, cum victoriam tenet, inopinato necatur.

Maxima Ætii fama oritur ex proelio, <sup>1</sup> quo anno 451 Attilam ex Gallia expellere valuit. Simul tamen crescit invidentia aulicorum Valentiniani III, qui timent ne Ætius filium suum faciat imperatoris successorem ; idem odio quoque iam diu est Gallæ Placidie, quin etiam potenti factioni christianæ, cum sit impænitens paganus. Die 21 m. Septembris a. 454 Ætius ab ipso Valentiniano III occiditur. Valentinianus autem postero anno quoque trucidatur. Sequuntur brevia regna impotentiorum imperatorum, compluribus interregnis interpositis.

Tota potentia est in barbarorum armis ; nam iam ante annum circiter 376 exercitus Romanus magis magisque constat e barbaris, ac postea, cum populi bar-

bari se in Imperii finibus collocant ut foederatos, fere totus exercitus e barbaris constat. Non mirum ergo, si anno 476 barbarus praetorianorum dux, Odoacer, imperatorem Flavium Romulum Augustum deponit et Imperii Occidentis insignia Constantinopolin ad imperatorem Zenonem mittit. Ille totam Italiam regit et a Zenone titulum patricii accipit. Manet senatus Romanus, cui multum favet Odoacer.

Abhinc Occidens in barbariem magis magisque demergitur; per complura saecula nullius ponderis erit in orbe terrarum. Antequam eum relinquamus, lectu digna sunt nonnulla testimonia illius terribilis quinti saeculi.

Testis maximi momenti est C. Sollius Apollinaris Sidonius, Lugduni circa annum 431 natus, tempore quo Roma iam primum capta et direpta erat. Ille pertinet ad locupletissimam familiam optimatum Gallo-Romanorum; eius pater et avus fuerunt praefecti praetorii Galliarum. Tunc in Gallia meridionali iuniores tradito more adhuc doceri possunt; quare Sidonius grammaticum habet Lugduni et rhetoricam studet Arelate, in praetorii Galliarum sede. Viginti circiter annos natus uxorem ducit filiam primi Arvernorum senatoris Fl. Eparchii Aviti, magistri praetorii Galliarum, qui anno 455 imperator proclamatur et breviter regnat. Sidonius cursum honorum ducit usque ad praefecturam Urbis, sed etiam magni aestimatur ut scriptor. Cum anno 476 Imperium Occidentale in perpetuum finitur, fit Augustonemeti (v. *Clermont-Ferrand*) episcopus sive, ut ipse dicit, summus sacerdos.

Sidonius Lugduni habet villulam, quam occupant Burgundii; de his in carmine XII ad amicum quendam, qui ab eo epithalamium petit, scribit haec:

« Quid me, etsi valeam, parere carmen  
Fescennicolae iubes Diones  
inter crinigeras situm catervas  
et Germanica verba sustinentem,  
laudantem tetrico subinde vultu  
quod Burgundio cantat esculentus,  
infundens acido comam butyro? » (v. 1-7)

Non solum barbari in continenti dominantur, sed, id quod minus notum est, Saxones litora populantur usque ad Aquitaniam. De his Sidonius refert haec:

« Sed ecce dum iam epistulam, quae diu garrat, claudere optarem, subitus a Santonis [*v. Saintes*] nuntius; cum quo dum tui obtentu aliquid horarum sermocinanter extrahimus, constanter asseveravit nuper vos

classicum in classe cecinisse atque inter officia nunc nautae, modo militis litoribus Oceani curvis inerrare contra Saxonum pandos myoparones, quorum quot remiges videris, totidem te cernere putes archipiratas: ita simul omnes imperant, parent, docent, discunt latrocinari. Unde nunc etiam ut quam plurimum caveas, causa successit maxuma monendi. Hostis est omni hoste truculentior. Improvisus aggreditur, praevius elabitur; spernit obiectos, sternit incautos; si sequatur, intercipit, si fugiat, evadit. Ad hoc exercent illos naufragia, non terrent. Est eis quaedam cum discriminibus pelagi non notitia solum, sed familiaritas. Nam quoniam ipsa si qua tempestas est huc securos efficit occupandos, huc prospici vetat occupaturos, in medio fluctuum scopulorumque confragosorum spe superventus laeti periclitantur. Praeterea, priusquam de continenti in patriam vela laxantes hostico mordaces anchoras vado vellant, mos est remeaturis decimum quemque captorum per aquales et cruciarias poenas plus ob hoc tristi quod superstitioso ritu necare superque collectam turbam periturorum mortis iniquitatem sortis aequitate dispergere. » (Ep. VIII, 6, 13-15)

Eis incertis temporibus, non omnes tamen sunt miseri; exemplum affert iterum Sidonius, qui, in itinere amicos conveniens, de eis narrat haec:

« Inter agros amoenissimos, humanissimos dominos, Ferreolum et Apollinarem, tempus voluptuosissimum exegi (...) Colles aedibus superiores exercentur vinitori et olivitori (...) Uni domui in plana patentiaque, alteri in nemora prospectus; sed nihilo minus dissimilis situs similiter oblectat. Quamquam de praediorum quid nunc amplius positione, cum restat hospitalitatis ordo reserandus? Iam primum sagacissimis in hoc exploratoribus destinatis, qui reditus nostri iter aucuparentur, domus utraque non solum tramites aggerum publicorum, verum etiam calles compendiis tortuosos atque pastoria deverticula insedit, ne quo casu dispositis officiorum insidiis elaberemur. Quas incidimus, fateor, sed minime inviti, iusque iurandum confestim praebere compulsi, ne, priusquam septem dies evolverentur, quicquam de itineris nostri continuatione meditaremur (...) Ilicet a deliciis in delicias rapiebamur. Vix quodcumque vestibulum intratum, et ecce huc sphaeristarum contrastantium paria inter rotatiles catastropharum gyros duplicabantur, huc inter aleatoriarum vocum competitiones frequens crepitantium fritillorum tesserarumque strepitus audiebatur; huc libri adfatim in promptu (videre te crederes aut grammaticales pluteos aut Athenaei cuneos aut armaria exstructa bibliopola-

rum) : sic tamen quod, qui inter matronarum cathedras codices erant, stilus his religiosus inveniebatur, qui vero per subsellia patrumfamilias, hi coturno Latiaris eloquii nobilitabantur ; licet quæpiam volumina quorumpiam auctorum servarent in causis disparibus dicendi parilitatem : nam similis scientiæ viri, hinc Augustinus, hinc Varro, hinc Horatius, hinc Prudentius lectitabantur. Quos inter Adamantius Origenes Turrano Rufino interpretatus sedulo fidei nostræ lectoribus inspiciebatur [*nam auctores Græci in textu originali iam non leguntur*] (...) Studiis hisce dum nostrum singuli quique, prout libuerat, occupabantur, ecce et ab archimagiro adventans, qui tempus instare curandi corpora moneret, quem quidem nuntium per spatia clepsydræ horarum incrementa servantem probabat competenter ingressum quinta digrediens. Prandebamus breviter copiose, senatorium ad morem, quo insitum institutumque multas epulas paucis parapsidibus apponi, quamvis convivium per edulia nunc assa nunc iurulenta varietur. Inter bibendum narratiunculæ, quarum cognitu hilararemur institueremurque, quia eas bifariam orditas lætitia peritiaque comitabantur. Quid multa ? Sancte, pulchre, abundanter accipiebamur. Inde surgentes, si Vorocingi [*hodie vicus Brocen, prope Alès*] eramus (hoc uni prædio nomen), ad sarcinas et deversorium pedem referebamus (...) Excusso torpore meridiano paulisper equitabamus, quo facilius pectora marcida cibis cenatoriæ fami exacuere-mus. » (Ep. II, 9, 1-7)

Ipse Sidonius non est miser ; balneo fruitur ; neque desunt famuli, neque lautitiæ, sed christianismo tinctæ ; narrat enim hæc :

« Avitaci sumus [*hodie vicus Aydat non longe a Clermont-Ferrand*]; nomen hoc prædio, quod, quia uxorium, patrio mihi dulcius (...) Balineum ab Africo radicibus nemorosæ rupis adhærescit, et si cædua per iugum silva truncetur, in ora fornacis lapsu velut spontaneo deciduis struibus impingitur. Hinc aquarum surgit cella coctilium, quæ consequenti unguentariæ spatii parilitate conquadrat excepto solii capacis hemicyclio, ubi et vis undæ ferventis per parietem foraminatum flexilis plumbi meatibus implicita singultat. Intra conclave succensum solidus dies et hæc abundantia lucis inclusæ ut verecundos quosque compellat aliquid se plus putare quam nudos. Hinc frigidaria dilatatur, quæ piscinas publicis operibus exstructas non impudenter æmularentur (...) ipsa vero convenientibus mensuris exactissima spatiositate quadratur, ita ut ministeriorum sese non impediende famulatu tot possit recipere sellas quot solet sigma personas (...) Interior parietum facies solo levigati cæmenti candore contenta est. Non hic per nudam pictorum corporum pulchritudinem turpis prostat historia, quæ sicut ornat artem, sic devenustat artificem. Absunt ridiculi vestitu et vultu-

bus histriones pigmentis multicoloribus Philistionis supellectilem mentientes. Absunt lubrici tortuosique pugilatu et nexibus palæstritæ, quorum etiam viventium luctas, si involvantur obscenius, casta confestim gymnasiarchorum virga dissolvit. » (Ep. II, 2, 3-6)

Alius magnus illorum temporum testis est Salvianus Massiliensis. E regione Rhenana oriundus, narrat Augustæ Treverorum (v. *Trier*) eversionem anno 440 a barbaris perpetrata. Migrat Massiliam, ubi sacerdos ordinatus duos libros conscribit, quibus tituli *De gubernatione Dei* et *Ad Ecclesiam*. Eius sententia de barbarorum facinoribus est scitu digna :

« Si quando enim, ut nuper factum est, defectis urbibus minuendas in aliquo tributarias functiones potestates summæ existimaverint, illico remedium cunctis datum soli inter se divites partiuntur. Quis tunc pauperum meminit ? Quis ad communionem beneficii humiles et egestuosos vocat ? (...) Et putamus quod pœna divinæ severitatis indigni sumus, cum sic nos semper pauperes puniamus ? (...) Ubi enim aut in quibus sunt, nisi in Romanis tantum, hæc mala ? Quorum iniustitia tanta, nisi nostra ? Franci enim hoc scelus nesciunt. Nihil horum est apud Vandalos, nihil horum apud Gothos. (...) Si ergo, inquirunt, respicit res humanas Deus, si curat, si diligit, si gubernat, cur nos infirmiores omnibus gentibus et miseres esse permittit ? Cur vinci a barbaris patitur ? Cur iuri hostium subiugari ? Brevissime, ut iam ante dixi, ideo nos perferre hæc mala patitur, quia meremur ut ista patiamur. Respiciamus enim ad turpitudines, ad flagitia, ad scelera illa Romanæ plebis, ut supra diximus, et intelligemus si protectionem mereri possumus, cum in tanta impuritate vivamus (...) Vidi siquidem ego ipse Treveros domi nobiles, dignitate sublimes, licet iam spoliatos atque vastatos, minus tamen eversos rebus fuisse quam moribus. Quamvis enim depopulatis iam atque nudatis aliquid supererat de substantia, nihil tamen de disciplina. Adeo graviore in semet hostes externis hostibus erant, ut licet a barbaris iam eversi essent, a se tamen magis everterentur. Lugubre est referre quæ vidimus, senes honoratos, decrepitos Christianos, imminente iam admodum excidio civitatis, gulæ ac lasciviæ servientes. » (*De Gubernatione Dei*, 103-104)

Redimus ad Imperium Orientale, quod solum traditum cultum servabit atque suam potentiam restituere valebit. Causa principalis est quod pars orientalis Imperii locupletior est, quam occidentalis ; maior eius opum pars venit ex Asia, quam a barbaris tueri valet ; præterea Constantinopolis a barbaris expugnari non potest, neque obsidione extenui, cum sit portus et classem habeat.

Theodoricus, filius unius ex Ostrogothorum fœde-

ratorum ducibus, cum iunior esset, decem annos obses fuit Constantinopoli. In aula imperatoris Leonis I educatus, multa discit de Romanorum moribus et de eorum arte militari, quæ ei magno emolumento sunt cum apud suos revertitur.

Zeno modo imperator factus (a. 474) Constantinopoli expulsus est (a. 475) a Basilisco, propriæ uxoris avunculo, qui iam præfuit irritæ expeditioni in Africam contra Vandalos (a. 468) ductam. Zeno, ad populares suos Isauros confugiens, adiuvatur a Theodorico, eodem anno Ostroghotorum duce facto.

Zeno, throno anno 476 recuperato, Theodorico gratias multimodis agit atque in eum anno 484 etiam titulum consulis confert. Hæc Ostrogothis non sufficiunt, qui Macedoniam diripiunt et Thessalonicæ minantur. Quæ cum ita sint, Zeno anno 487 Theodorico suadere valet, ut Italiam petat cum toto populo et Odoacrum fuget. Odoacro non sine magna difficultate victo et paulo post a se dolose trucidato, Theodoricus anno 493 fit rex Italiæ atque anno 498 imperator Anastasius (491-518) ei confert insignia regalia.

Zeno non solum cum barbaris magnas difficultates habet, sed etiam cum sectatoribus religiosis ; nam tres patriarchatus, Ægypti, Palæstinæ et Syriæ, nolunt Symbolum Chalcedoniense accipere, unde oriuntur magnæ perturbationes ; Basiliscus, exempli gratia, in rebellione sua sustentatur a patriarcha Alexandriæ. Zeno, qui ipse cum monophysitis consentit, tamen electus est imperator, qui orthodoxiam proveheret. Statuit ergo diversas partes conciliare, compromissum anno 482 promulgens Enotikon vocatum (i.e. de Unitate), quod paravit Acacius, Constantinopolis patriarcha. Omnes episcopi orientales debent huic textui subscribere, ne deponantur. Ibi Eutyichis et Nestorii condemnatio confirmatur, secundum concilii Chalcedoniensis decreta ; duodecim anathemata Cyrilli Alexandrini dilucide comprobantur ; denique, cum ibi sit nodus dissensionis, nulla mentio fit de natura Christi.

Hoc compromissum, quod in nullo synodo disputatum erat, neutris partibus vere placet. Patriarchæ tamen Alexandriæ et Antiochiæ subscribunt, sed papa Felix III post duos annos disputationis cum Acacio compromissum condemnat et Acacium excommunicat. Ad rem explicandam epistolam ad orientales clericos circummittit, quæ his verbis incohatur :

« Felix Rufino Thalassio, presbyteris et archimandritis et ceteris monachis circa Constantinopolim et Bithyniam constitutis.

Diabolicæ artis astutias frequentius experimur, sed malignitati eius Deo iubente non cedimus. Nam cum ea, quæ totiens pro constantia fidei disponuntur, fraus eius vacuare molitur, necesse est ut et viribus, quas divina gratia subministrat, conatus ipsius extirpemur. »

Acacius Felicem III invicem excommunicat et sic anno 484 incohatur primum schisma ecclesiarum occidentalis et orientalis, quod circiter triginta annos durabit.

Zenone anno 491 naturaliter vita functo, eius vidua Ariadna ut successorem eligit Flavium Anastasium, humili loco in Italia natum sed silentiarium factum, i.e. maximum magistratum, eique nubit. Anastasius Persas compluries vincit ; Clodovechum I agnoscit ut regem Francorum, qui fit, certe tantum verbo, eius vassalus. Ærarium tam bene curat, ut magnam residuum summam relinquat. Est monophysita et orthodoxos persequitur. Anno 518 mortem obit, duodenonginta annos natus.

Ad historiam quinti sæculi concludendam dicere licet eam fuisse « sine gloria » ; Constantinopolis eo tempore numquam expugnata est ; præterea novi barbari reges, ut Theodoricus in Italia et Clodovechus in Gallia, reverentiam servant erga Imperium Romanum, a quo insignia sui regni petunt. ❀

---

i. Cf. *Melissa* 128, p. 12 : « De Latinitate Orientali (III) ». De iisdem argumentis :

Philippe Richardot, *La fin de l'armée romaine (284-476)*, Institut de stratégie comparée EPHE IV-Sorbonne, Paris, Economica, 1998.

Yves Madéran, *L'empire romain tardif*, Paris, Ellipses, 2006<sup>2</sup>.

Peter Garnsey et Caroline Humfress, *L'évolution du monde dans l'antiquité tardive*, Paris, La Découverte, 2004.

## DE NOVIS LIBRIS

Louise Katz, *Guillaume Budé et l'art de la lecture*, Bruxellis, Brepols - Musée de la Maison d'Érasme, 2009, 152 p.

Qui Budæum amant Francogallorum gloriam humanisticam, gaudebunt de hoc libro Francogallice quidem conscripto, sed multis ornato Budæanis aliisque citatis, Græce et Latine. Argumentum est attractivum : agit enim de legendo. Quis legebat sæculo sexto decimo ? Qua ratione lectores libros eligebant ? Quomodo eos emebant ? Legebantne soli, an congregati, tacite, an alta voce ? Quos sensus lectio afferebat ? Quid ipse Budæus legebat ? Quid suadebat ? Hæc omnia te allicient, bone lector, cum libros ames, nam aliter has paginas non legeres. Addamus editionem nitide esse confectam, ut solent esse omnes Domus Erasmianæ editiones. Et cum agatur de Budæo, placet aliquam paginam vobis hic offerre ex opere *De studio litterarum* excerptam. Usa sum editione septimi decimi sæculi, quam inveni in interreti : *De philologia, studiis liberalis doctrinæ, informatione et educatione litteraria generosorum adolescentum... tractatus Guilielmi Budæi, Thomæ Campanellæ, Joachimi Pastorii, Job. Andreae Bosii, Job. Schefferi & Petri Angelii Bargæi quos Thomas Crenius collegit, recensuit, emendavit...*, Lugduni in Batavis ex officina Davidis Severini, 1696, p. 35. Ubi lectio comparatur cum peregrinatione, quæ metaphora communis quidem est, sed etiam vere congrua.

ISBN 978-2-503-53209-7

« Mihi vero litterarum hodie studiosi rivales esse videntur in amore anus honestissimæ, quæ diu amatoribus ut ignota et squalida caruit, nunc autem redivivo decore interpolis ac sine mangonio, quasiq̄ integra denuo ætate florens, in medium lauta, elegans et nitida, cum suo se mundo ornatuque protulit, ac per omnes nationes æmulatorum cohortes secum trahere conspicitur, tanta contentione ad tutandam eius dignitatem et ornatum vires periclitantium, ut et facultates suas et vitam ipsi devovisse matronæ deamatæ existimari debeant. Id quod insanix fortasse instar quoddam habere videretur, nisi tanti esse ac pluris crederetur, unum hominem exemisse se turbæ unius aut alterius provinciæ, nec suæ tantum ætatis, quod unusquisque sperat litteris deditorum.

« Proinde ne eius studii amore inconsulto et perenni (temporarius enim esse debet) ab earum rerum recordatione abducamur, quarum studium antiquissimum esse par est (nam cum mundo matronali illecebras etiam illa habet animis vehementer lenocinantes) consilium mutuemur oportet a Nicolao Damasceno, eiusque sententiam pro oraculo habeamus. Sic enim

fiet maxime, laboris ut impensi in cultu externæ illius disciplinæ numquam nos pæniteat. Aiebat enim ille philosophus vir optimus idem et doctissimus, universam litterarum disciplinam orbicularisque eruditionis curriculum, peregrinationis similem esse. Etenim quemadmodum peregre euntibus, qui itinera longe permittuntur, quædam in loca contingit divertere, ibique mansionem unam agere ; quibusdam in locis tantum prandere ; in nonnullis rursus immorari dies plusculos ; denique loca nonnulla transeuntis oculis tantum lustrare ; ad extremum vero peregre redeuntibus, domi deinde permanere atque inhabitare. Ad hunc eundem modum studiosos homines oportere litterarum discendarum spatium permeantes, quibusdam in disciplinis longius immorari, in quibusdam aliquantisper ; et quasdam quidem disciplinas totas, quarundam partes, quarundam elementa, modo percipere. Sicque ex unaquaque utilissimum quodque comprehendentes, tum domum vere paternam repetentes, illic ad ultimum usque philosophari. Hæc mihi sententia veri et germani philosophi esse visa est, mirumque in modum probanda et amplectenda homini studioso, sanæque religionis cupido et reverenti. Nam quid miserius est, qui imprudentius, quid denique vecordius, quam ex tot, tantis, tot ætatum divitiis, quæ in medium expositæ sunt, et vigilantissimo cuique ad occupandum obviæ sine aliorum detrimento nihil in rem suam vertere, nihil ad viaticum augendum immortalitatis sumere, sed ex vehementi et diuturno labore oculos tantum mentis inaniter et dispensiose pascere. »





M.L. Kallela, E. Palmén, *Ianua Latina. Textus et exercitia*, Espoo, Artipictura, 2009, 250 p.

Iam sæpe in his paginis, et quidem merito, laudavimus Finnorum in re didactica studium – necnon audaciam, si comparamus cum tepidis nostrarum regionum inceptis. Ecce magistri qui non timent Latine loqui et scribere, qui neque recentiores neque recentissimas literas respuunt! Utinam in tota Europa sic res se haberent: institutio linguæ Latinæ floreret magis. In præfatione non solum Finnice, sed etiam Latine conscripta, auctores explicant *Ianuam Latinam* esse excursionem culturalem, « qua ab aurea ætate litterarum Romanarum usque ad recentissima tempora progredi potes. Eo enim consilio exarata est, ut, quantum lingua Latina hereditasque culturalis cum ea tradita ad identitatem nostram occidentalem ædificandam contulerint, tibi librum legenti perspicuum fiat. » Proponitur ergo anthologia in tres partes divisa, quæ sunt: *De poesi Romana* (lyrica et epica), *De traditione Græco-Romana* (rhetorica et philosophica), *De Latinitate internationali* (mediævalia et recentiora). Sic fit ut lector ambulet ab Horatio ad sanctam Birgittam, a Cicerone ad Comenium, a Boethio ad Paulum Diaconum, archipœtam, Michaelem Agricolum, Carolum von Linné, multos alios quorum lepida offeruntur excerpta. Historicæ singulorum condiciones ab ipsis auctoribus explicantur Latine. Finnice quidem proponuntur pleraque exercitia et vocabulorum indices. In votis est ut huiusmodi liber ad alias etiam nationes aptetur. Felices enim discipuli, qui huiusmodi libris scholasticis nixi linguam Latinam discere possunt.

ISBN 978-952-5347-18-0

*Materies seminarii L.V.P.A.e Cracoviensis anno MMVII habiti*, Cracoviæ, Societas Latine loquentium Cracoviensis, 2008, 153 p.

Postquam sodalitas L.V.P.A. (www.lvpa.de) seminarium a. 2007 Cracoviæ feliciter instituit in Polonia, Polonis hospitibus visum est scholarum acroasiumque acta publicare. Bonum propositum: sic enim etiam ei, qui seminarium non participaverunt, argumenta legere possunt ibi tractata, atque inter alia, ne omnia enumeremus: florilegium excerptum ex Annæ Elissæ Radke spectaculis, poesin Latinam hodiernam Austriacam a Barbara Dowlasz expositam, vitam poætæ Miecislai Broscii a Iosepho Korpanty expositam, Pervigilium Veneris a Natalia Jureczko explicatum, alia varia et attractiva.

ISBN 978-83-927863-0-6

D. Sacré & J. Papy (ed.), *Syntagmatia. Essays on neo-latin literature in honour of Monique Mund-Dopchie and Gilbert Tournoy*, Lovanii, Leuven University Press, 2009, 845 p.

Hoc crassum doctumque volumen professoribus Mund-Dopchie et Tournoy dicatum est in otium procul dubio litteratum recedentibus. Uterque autem literas antiquas diu docuit, illa Neo-Lovanii Græcas, is Latinas Lovanio vetere. Uterque etiam studia investigationesque suas tempori litterarum renatarum, quod dicitur, assidue dederunt. Itaque in utriusque honorem collegæ e toto orbe terrarum oriundi symbolam contulerunt, ut non solum his, sed lectoribus præbeantur 61 doctæ commentationes de Erasmo, Valla, Pontano, Perotto, Moro, Lipsio, Vive multisque aliis. Attamen non Latine legendæ, sed linguis vernaculis, præter elegantissimam editorum præfationem.

ISBN 978-90-5867-750-1

J. Mambrino, *Le Mot de passe, De Signo, 400 disticha ex lingua Gallica in linguam Latinam versa a Victoria Gogue*, Augustobonæ, Andas, 2009, 211 p.

Iohannes Mambrino, anno 1923 natus, habetur ut unus e maximis hodiernis poetis Francogallis. Non solum ingentem carminum copiam pepigit, sed etiam, oratione soluta, opera de re litteraria deque theatro et translationes Anglorum auctorum. Eius stilus, maxime varius et abundans, Anglicam poesin redolet, verisimiliter quia ibi puer vixit et postea sæpe versatus est. Simplicissimos sensus scit verbis reddere æternos. Etiam librorum tituli habent nescioquam vim eximie poeticam, sicut hic: *Comme un souffle de rosée bruissant*. Opus autem quod nobis nunc proponitur in Latinum versum, *Le Mot de passe*, primum editum est anno 1983. Agitur de ecloga brevium distichorum, ubi paucis vocabulis dicuntur omnia: cælum, amor, vita, stellæ, interrogatio, quies... Duo selegi meditationi vestræ proponenda:

Si tu pleures, ne cache pas ton visage,  
mélange-le aux étoiles.

Si fles, noli vultum occultare,  
stellis misce. (p. 78)

Parfois au cœur de la nuit la pensée  
retrouve sa douleur en plein soleil.

Mens interdum intima nocte  
sole sub ardenti dolore reperit. (p. 142)

ISBN 978-2-913963-28-3

Francisca DERAEDT

G. Licoppe, *De Portu Itio et Cæsaris navigationibus in Britanniam*, Melissa, Bruxellæ, 2009, 64 p.

Hunc libellum conscripsit Gaius Licoppe fretus investigationibus mirabilibus Alberti Grisart a quo, paulo post defuncturo, omne archivum recepit. Grisart ipse perpauca in lucem edidit. Mente autem valde critica præditus, « ausus est », ut scribit Professor Franciscus Duysinx in *Proæmio*, « theorias retractare a præstantibus historicis comprobatas ».

Inter quas theoria ad locum Portus Itii pertinens, unde Iulius Cæsar Britanniam petebat, non est minimi ponderis : « Quæstio Portus Itii Alesia quæstionem superat, quod spectat ad amplitudinem bibliographiæ », ut scripsit Jullian, unus inter specialistas qui eam tractaverunt. Omnes fere consenserunt illum Itium mysteriosum Bononiæ (Fr. *Boulogne-sur-mer*) assimilandum esse. – Cuius incolis, nisi fallor, usque adhuc placet oppidum suum iactare locum a Cæsare electum ad « penitus toto divisos orbe Britannos » invadendos !

Alberto autem Grisart non placuit. Inter alia obiecit Bononiam a Romanis semper vocari Gesoriacum. Incepit ergo integram quæstionem recognoscere. Non solum Bello Gallico accurate incubuit, sed etiam operibus Strabonis, Ptolemæi, Ciceronis, necnon Modernorum, historicis, geographicis, geologicis, meteorologicis etc. Ita ut invenerit, omnibus argumentis in unum concurrentibus, Portum Itium loco omnino alii identificandum esse.


Hæc argumenta exponit Gaius Licoppe stylo, ut solet, accurato, perclaro necnon pericundo. Insuper

libellus ornatus est multis chartulis, photographematis et delineationibus. Quæ omnia efficiunt ut lectori, post opusculum lectum, nullum iam dubium exstet ubi re vera sit ille Portus Itius.

Quo loco, lector future, num quæris ? Non « mihi fas pandere res alta terra et caligine mersas » !...

ISBN 978-2-87290-025-1

Iohannes VAN KASTEEL





# *In hoc fasciculo !*

- De Academiae Latinitati Fovendae conventu* [G. Licoppe] p. 1  
*Nova quaedam de sodalitate « Harundine »* [Th. Deneire] p. 2  
*De Carica Rhodiaque navigatione* [F. Deraedt] p. 3  
*Peripedemi periegesis (pars ultima)* [B. Walton] p. 6  
*De pronuntiatione Latina et Graeca quid dixerit Erasmus Roterodamus* [S. Jansson] p. 7  
*De Romano imperio orientali (v)* [G. Licoppe] p. 10  
*Bibliotheca Latina* p. 14

*Imago tegumentis : Venus Cnidi (in museo Vaticano)*

---

## INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ

a Melissa præbetur omni Mercurii die ab hora 18 ad horam 19.30. Lectiones incohantur mense Octobri.

Si quis plura scire cupit : tel. + 32 (0) 475.47.55.18, g.licoppe@skynet.be



MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

Banque ING : 310-0644994-30,

Bic BBRUBEBB, IBAN BE15 3100 6449 9430

